

## Die Urkunden der Burgundischen Rudolfinger, 28

In nomine sancte et individue trinitatis. Chuonradus nutu omnipotentis die serenissimus rex. Convenit unumquemque nostrum aecclesiae dei pro se suisque omnibus deo fideles sublimare ac subvenire. Quapropter noverit omnium fidelium nostrorum industria presentium ac futurorum, qualiter Hugo comes consanguineus noster adiit regiam magnitudinem nostram, ut hoc quod nobis reddit, videlicet Tusciaco villa in pago Lugdunense, quicquid ad haec legitime pertinere videtur, terris vineis pratis silvis aquis aquarumque decursibus piscatoriis omnibus servis utriusque sexus, pro nostro seniore bone memoriae Rodulfo rege et remedio animae nostrae ad monasterium Cluniacum, quod est constructum in honore beatorum apostolorum Petri et Pauli, per preceptum secundum morem regium concederemus; quod et fecimus. Volumus namque ac firmiter decernimus, ut super insertus locus omnem obtineat vigorem et quicquid hic aspicit ad supra memoratam villam cum omnibus suis adiacentiis et appendiciis, quesitum et ad inquirendum, totum et ad integrum, sine ullo obsistente et contradicente. Ut autem hoc nostrum preceptum ab omnibus observetur et a nemine umquam violetur, manu propria firmavimus et de sigillo nostro consignare iussimus.

Signum (M.) domni Chuonradi piissimi regis.

Einricus advicem Amonis episcopi recognovit.